



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 8. Omnis peccator meretur à diabolo cui se subijcit, poßideri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

ter domum, in quam intrant solent ornare? Vt ergo Deo ianua, & fenestra, & totum pectus aperiatur, excludaturq; vastator Angelus, finit diuina prouidentia à dæmone malo infessos adeò malè tractari.

§. VIII.

Omnis peccator meretur à diabolo, cui se subicit, possideri.

Hi omnes, alijq; plures sunt optimi fines, ob quos diuina prouidentia adamantinas Inferorum portas referat, damnatisq; spiritibus inde exeundi, hominesque inuadendi facit potestatem. Sed longè aliæ sunt ex parte ipsorum hominum causæ, quæ Deum cogunt, vt, tanquã iustus criminum vindex, dæmones, haud secus ac tortores carnificesq; suos, iubeat in homines insilire, sæuire, furere. Imperator rex militibus suis, vt ciuitatem rebellem armata manu inuadant, spolient, diripiant, incendant; & Deus de cælo aspiciat tot homines sibi indignissimè rebellantes, nec mittat suos hos stygios executores, vt eos lacerent? Audijs D. Paulus, incestum, apud Corinthios, commissum, & zelo Domini exardescens iudicauit, *tradere huiusmodi satana in interitum carnis*; audit & videt

det mundi Rector longè magis nefanda, & satanam nullum habeat, cui nefarios tradat? Septem dæmonia fuerunt in Maria Magdalena. cur? quia *erat in ciuitate peccatrix*. Tot ergo dæmonia meruit, quot hydræ fuerunt capita. Luxuria enim raro est sola; ornat se superbè, vt placeat; auarè emulget à iuuenibus opes, quibus se ornet; irascitur, si contemnitur; odit, si non amatur; & quia sine Baccho & Cerere friget Venus, carnem gulosè saginat. Caro autem opprimit spiritum; nec sapiunt terrenis desiderijs caelestia. Hinc aecidia. Hæc sunt septem hydræ capita, quorum singulis suis Satan debebatur. Illi enim se subijcit, quisquis illius suggestioni obedit. Malè igitur Deus accusatur, quòd homines diaboli subijciat potestati; ipsi homines dum peccant, se se imperio illius subijciunt; se ipsos igitur accusent. Immo Dei clementiã obstupescant, tam paucos peccatores tyranni huius libidini permittentis. Non millesimus, nec millies millesimus patitur, quod omnes peccatores merentur. Qui autem patiuntur, quod meruerunt, sciant illud S. Augustini dictum:

Dæmones, nisi quos fallendo, deceperunt, de ciu. l. 4

Ef s

poside. cap. 34.

Marc. 16.

9.

Luc. 7. 37.

2. Hier.
2. as. Dei
F. p. p. p.
in v. v.
D. m. d. s.

possidere non possunt : iure per peccatum ac-
quisito scilicet. Nam Dei potestate accepta,
possunt, ob alios quoq; bonos fines, etiam
sæuire in innocentes, vt infra docebo.
Interim & nocentes diuinus iudex, vt iu-
stè, ita & vtiliter plectit.

§. IX.

*In energumenis pœna diuina conside-
randa.*

S. Hier.
in Dan. S.
Epiphan.
in vita
Danielis.

Si aliquos permittit palam ita vexari,
eosq; monstrosos fieri, ceteris mortalibus
monstrat, quid vitare debeant, ne & illi in
huiusmodi monstra abeant. Sententia D.
Hieronymi & D. Epiphani est, Assyrio-
rum regem Nabuchodonosor, præterquã
quòd ita monstrosus effectus sit, quemad-
modũ eum nos suprã descripsimus, etiam
adeò monitrosum fuisse, quòd à dæmoni-
bus obsessus esset. Quæ opinio inde suam
accipit probabilitatẽ, quia certe plurima
obsessi in eo fuerunt argumenta. Quod si
ita est, reuocemus in memoriã flagitia il-
lius, & fatebimur eum totas legiones dia-
bolorum commeruisse. Saul quoq; rex à
multis grauissimisq; authoribus existima-
tur à cacodæmone infessus & exagitatus.
At quis eum innocentem passum existima-
uit,